

Q. D. B. V.

DE

# AQUÆ NATURA AC VIRTUTE IN MEDENDO,

RÉCTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DOMINO CAROLO,**  
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

*PRÆSIDE*

**FRIDERICO HOFFMANNO,**  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

*PRO DOCTORIS GRADU,*

publice disputabit,

AUTOR,

**HIERONYMUS MARTINUS HENRICI,**

OTTERNDORFFIO - HADELERICUS.

*Ad d. Julii M DCC XVI.*  
H. L. Q. C.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.



DIFFERENTIIS

DE AQUA NATURA  
ET VIRTUTE IN  
MEDICANDO.

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

DOMINO CAROLO

BORSSIAE PRINCIPIS MARCHIONIS BRAN-  
DENBURGICO, ELECTORIS

FIDELISSIMO HOFFMANNO,  
COLLEGIUM MEDICORUM DECANO

PRO DOCTORIS GRADU,

publice disputabit


HIERONYMUS MARTINUS HENRICI

MDCCXXVII

IN ACADEMIA  
SALIS-MAGDENBURGICA

Typis Christiani Henckellii, Acad. Typ.





B. D.

PRÆFAMEN.

Ἐξ ἰλιῶ ἐβλάστησε χθρῶν αὐτῆ , καὶ ἐν τῷ ἕδατος  
ἰλὺς κατέστη.



**H**Æc sapientum fuit  
sententia antiqua, unde vero  
Thales Milesius eam mutua-  
tus sit, conjectu facile est. De-  
us enim omnium creator ne-  
mini se incognitum reliquit.

Moyfes, scriptor ille divinus & primus,  
(ex quo forsan cæteri sua hauserunt)  
יהוה מרחפת על פני חמ"ב indigitans, eo ipso, singu-  
lare quid de aqua insinuare voluit, cui S. Petrus  
Ep. 2. Cap. 3. eodem Spiritu actus assenti-  
tur.

A 2

Ex

Ex hoc fundamento, ni fallor, Helmontius pater & qui eius sunt sententiæ, principium feminine in aqua, actorem vero in igne posuerunt.

De qua re jam differere à scopo nostro alienum est, sufficit enim usum medicum disquirere, vel ut clarius dicam, commodum ejus respectu corporis humani.

Sicut enim in foro Romano maximi delicti pœna æstimabatur, civi igni & aqua interdiceret; minoris certe non foret damni corpori humano illud latice aquoso privare.

Idcirco quoniam Superiorum consensu & pro ratione conditionis problema aliquod, Summo auspicante Numine, proponere ausus sum; id elegi cujus fundamentum in ipsa creatione jacet, hac quidem ratione, ut de aquæ proprietatibus & differentiis, ejus applicatione ad corpus sanum & ægrotum, nec non de cura affectuum ex defectu aquæ, tum aliunde ortorum, brevissime differam. Deus annue  
capto!

SE-

SECTIO I.  
DE AQUAE SIMPLICIS  
PROPRIETATIBVS, EIVSQUE  
DIFFERENTIIS.



§. I.

Qua est corpus fluidum, mobile, grave, pellucidum, insipidum, inodorum, penetrabile, omnisque elasticitatis expers.

§. II.

Generalis corporis idea consistit in extensione nitente & renitente & impenetrabilitate, quæ figuram & mobilitatem simul involvunt.

§. III.

Per corpus fluidum vero intelligimus congeriem plurimorum corpusculorum (§. 2.) cujus infentiles partes vel nullo vel facile mutando nexu inter se coherant & quaquaversum æqualiter premuntur.

§. IV.

Interim motus est successiva inexistencia in hac vel illa parte spatii, & cum absque corpore sensibus non pateat, illud hoc pacto mobile concipitur.

§. V.

Quodsi igitur ex acutissimi Loewenhoekii observatione unus aquæ globulus vix millesimam partem vnus arenulæ æquet, horum vero maximus numerus laxè sibi invicem fit combinatus, inde mobilis fluiditas aquæ intelligetur.

## §. VI.

Fluiditatis porro rationem ex cognitione æthereæ lucidæ & calorificæ materiæ petere licet.

## §. VII.

Hæc autem ætherea lucida & calorifica materia in prima creatione a summo Numine secreta fuit a tenebris, ex qua omnia creata vitam, motum & esse suum habent.

## COROLLARIUM.

Ulteriorem E. hujus subtilissimæ materiæ naturam perscrutari non concessum est, quia rerum simplicissimarum ratio nulla superest, alias non forent simplicissimæ, idemque esset negare hominem optimis instructum oculis in luce nihil videre.

## §. VIII.

Omnia corpora in terram gravitare Physicis non amplius est dubium, & nulla dari corpora vere levia inter plurimos jam convenit philosophos, quæ autem hujus nisus sit ratio præter phænomenon vix apparet, licet a nonnullis in vi attractrice, ab aliis in vorticum motu ponatur.

## §. IX.

Interim hæc actio gravitatis mutua utrinque æqualis est, alias particula a se mutuo fecernerentur.

## COROLLARIUM.

Sic Aqua generalem & communem cum omnibus liquidis gravitatem habet, quatenus



PROPRIETATIBUS, EIVSQUE DIFFERENTIIS. 7

vero respectu aliorum corporum gravior vel levior sit, ex sequentibus patebit.

§. X.

Physicorum & mathematicorum illi principes Newton & Boyleus pondus aquæ & mercurii vivi ad invicem invenere, ut 1. ad  $13\frac{2}{3}$  circiter, aeris vero ad aquæ ut 1 ad 870 vel ad Boylei mentem ut 1. ad 1000.

COROLLARIUM.

Ergo penetrabilitatis cognitionem ex particularum coroll. §. 4) minutiis & gravitate (§. 9.) habebimus demonstratam.

§. XI.

Si aqua nervis lingvæ & narium applicatur, nullus sensus gustus & odoris percipietur, & si in vitro purissimo crystallino continetur, præsentia ejus haud observabitur, id quod globulositati ac puritati ejus solum attribuendum, quæ hoc fluiditati mobilitatique aquæ debent.

§. XII.

Supereſt ut de ultima proprietate aquæ (§. 1) quædam dicantur, quod facilius intelligetur, quando prius elasticitatis rationem cognoverimus.

§. XIII.

Dicitur vero corpus elasticum quod in minus spatium redigi potest, vel sibi relictum majus aut naturale iterum occupat, uti constat ex experimentis naturæ & artis. Aer enim in frigore & antlia pneumatica comprimitur, è contra liber factus sive igni expositus iterum expanditur.

§. XIV.

SECTIO DE AQUAE SIMPLICIS

§. XIV.

Cum igitur machina Boyleana & Ducis Hetruuriz hunc in finem ex auro conflata, aqua puriori impleta nullo modo comprimi potuerit, quin potius rupturam acceperit; hinc non amplius dubitandum aquam omnis elasticitatis esse expertem.

COROLLARIUM.

Ergo quæcunque elasticitas in aqua deprehenditur, illa ex combinatione aeris provenit, nec experimentum æolipilæ in contrarium quid probat.

§. XV.

Quando ætherea materia (§. VII.) minori quantitate aquam pertransit, coit in massam compactam, quæ ratione figuræ, glacies, grando & nix vocatur, hæc vero calori iterum exposita in aquam puram deliquescit. Sic chimici per expressionem materiæ æthereæ calidæ aquam solidam reddunt, & hyberno tempore hæc massa collecta, in locisque subterraneis occultata & asservata, per totum annum à fluiditate præservatur.

§. XVI.

Differentiæ vero aquæ non quoad essentiam, sed tantum ratione ingredientium sive admixtarum rerum intelligendæ sunt.

COROLLARIUM.

Ergo aqua maris, fontium, fluviorum, pluviarum, acidularum ac thermarum examinari debet.

§. XVII

§. XVII.

Oceani, five maria aquam continent salfam, quæ multo densior est purâ, dum proportio ejus observatur vt 8. ad 9. seu vt 50. ad 51. Quod ipsum confirmat experientia, quando navis altius tollitur in mari, quam in flumine, uti quoque jam dudum cecinit Ovidius in Eleg. 10. de Ponto.

*Innatat unda freto, dulcis leviorque marina est,  
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.*

§. XVIII.

Mixtio salis cum aqua inde patet, quod non solum per mæandros subterraneos adferantur varia salium genera, sed etiam in ipso fundo maris diversa copia bituminum, sulphuris, recondatur, quæ facile in hoc liquido solvitur.

§. XIX.

Fontium, rivulorum ac fluviorum origo ex pluviis, nubibus, nebulis, rore & pruina petenda est, quia his deficientibus, priores exsiccantur; copiosius vero decidentibus, augmentum majus capiunt.

§. XX.

Fontes igitur plerumque ad radices montium scaturiunt, dum pluvia per varios meatus ac poros terræ percolantur, colliguntur ac detinentur in locis lapideis & arigillaceis, quodsi quocunque modo augeatur, vis aquæ, profilit atque erumpit scaturigo. De cætero fontes illi in altissimis montium jugis profluentes originem ex nubibus, frigidissimis in locis condensatis, habent.

B

§. XXI.

§. XXI.

Hinc profiliunt rivuli, qui aucti fluvios constituunt, incrementum atque augmentum suppeditant & deinde, sive tecte sive aperte, in oceanum effunduntur, ita ut circulatio perpetua observetur.

COROLLARIUM.

Prout E. per loca paludosa, arenosa, limosa minerisque referta feruntur flumina, eam habent indolem, quæ materiæ sese huic aquæ immiscet.

§. XXII.

Quo celerius autem flumina fluunt eo puriori gaudent aqua. Interim minimam continent piscium copiam: iisque parum nutrimenti præbent. Quo vero lentius moventur & per loca pingviora & viscosiora incedunt; eo magis animalculis varii generis scatent & abundant, quin imo plus alimonie iis suppeditant.

§. XXIII.

Pluvia est aqua sublimata per calorem solis. Vapores enim ex mari, fluvii & ipsa terra ascendunt in aerem, motu ejus ibi condensantur & instar nubium pendent, copia vero major cum fiat ferendo aeri haud sufficiens, guttatim decedit aqua.

COROLLARIUM.

Hinc elucet hanc aquam esse purissimam imprimis si locis salubribus, vasisque puris colligatur: terrestres enim & salinæ particulae simul elevari nequeunt.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quod vero aqua multo aere gravior (sec. §. 10.) tamdiu in illo feratur, hoc rarefactioni sphaerarum ejus attribuendum erit, tunc enim plures superficies aeri exponuntur, quæ ab elasticitate hujus sustinentur, usque dum arctius iterum conjungantur.

COROLLARIUM.

Inde roris ac pruinae ortus non amplius erit obscurus; subtiles enim vapores, vi solis ac caloris dissipati, accedente frigore collecti ac compressi hanc induunt formam.

XXV.

Aquæ minerales sunt scaturigines s. fontes (§. 19, 20.) variis principiis mineralibus imbuti, ex quorum immixtione ac motu amaritiam adstrictoriam atque calorem peculiarem habent.

§. XXVI.

Montes enim ac viscera terræ varias continent materias, videlicet lapides, argillas, mineras, metalla, sulphura. Ubi vero fontes reperiuntur salutare, varius apparatus marcasitarum sulphurearum, sive pyritum, ex mente Lysteri aliorumque naturæ indagatorum, reconditus jacet, ex quorum intestino motu, actione ac reactione principiorum, vapor sulphureus accenditur, qui subterraneum tractum permeans, primum ingrediens acidularum ac thermarum constituit, unde virtutes speciales derivandæ sunt.

§. XXVII.

Omnes autem recensitæ materiæ martialis terræ  
 sunt

SECTIO I. DE AQVAE SIMPLICIS

sunt, participes, id quod demonstratur 1. ex sapore adstringente amaro, 2. ex massa illa flavescente ad ora fontium seposita, ochra dicta, quæ chemice præparata a magnete attrahitur. 3. ex infusione cum fructibus & radicibus adstringentibus v. g. gallis, rad. bistortæ, chinæ chinæ, herba thee &c. &c.

§. XXVIII.

Sal, quod invenitur, pro ratione ingredientium varium est, in aliquibus post levem evaporationem sal neutrum nitrosum amaricans se sistit, quale ex Anglicanis fontibus excoquitur: Plurimi nostrates fontes sal alcalinum fixum & volatile continent, quod vero minime cum animalium sale alcalino volatili confundendum. Probant hanc indolem alcalinam effervescencia cum acidis, mutatio coloris cum syrupo violarum, color purpureus ex admixtione vegetabilium adstringentium.

§. XXIX.

Præterea subtilissimus ille spiritus sulphureus cognoscitur ex odore, sapore, bullulis & penetrantia singulari: ideo facillime evaporat, quo facto turbida & vappida & iners redditur aqua; quæ frigidiori cælo longe penetrantior ac copiosior est.

§. XXX.

Acidularum ortus sic concipitur, quod fumus five vapor ille sulphureus, per scissuras & rupturas rupium, frigidas præterlabentes aquas imprænet ac si vitrioli martialis ex pyrite funditus sito solutionem iis communicet.

§. XXXI.

§. XXXI.

Quando vero incendium illud marcasitarum sive pyritum propiusprehendit aquas, eas calidas reddit quæ sub nomine thermarum veniunt: cujus rei exemplum ex accensione calcis vivæ cum aqua in promptu est, id quod confirmant montes ignivomi, qui per aquam accensâ varias argillaceas sulphureas materias eji-  
ciant. Chymici denique simile experimentum produ-  
cunt, quando massæ ex limaturæ martis & sulphuris æquali portione præparatæ aquam affundunt: tunc non solum fumus & calor, sed etiam flamma concipi-  
tur.

§. XXXII.

Differunt interim in eo acidulæ a thermis, quod sulphur illud embryonatum magis condensatum habe-  
ant. Cum è contra in thermis per calorem plus moveatur ac facilius in auram dissipetur.

§. XXXIII.

Probe denique observandum erit hunc spiritum sulphureum à communi sulphuris spiritu foetidi odoris valide differre, quemadmodum enim nativum sulphur purioris est naturæ ac odoris specifici quam vulgare: eadem erit ratio horum spirituum.

COROLLAR. I.

Hinc apparet, quid de acidi præsentia sive absentia sentiendum, patet vero vis aquarum in corpora solida dissolvens, præsertim si salia intermixta hæreant.

SECT. II.  
DE STATU CORPORIS HU-  
MANI SANO, EX PRÆSENTIA, ET  
MORBOSO, EX DEFECTU  
AQUÆ.

## §. XXXIV.

**C**orpus nostrum humanum æmulatur machinam hydrostatico-mechanicam, ad cuius sanitatem æquilibrium, motus fluidorum, nisus & renisus solidarum partium requiritur, ut omnes actiones cum facilitate & æquabilitate peragi queant.

## §. XXXV.

Fluida hæc constant, ut basi sua, ex aqua, cui olea salia ac terra unita & in saponis formam redacta sunt.

## §. XXXVI.

Si enim massam hanc fluidam ignis examini subicias, resolvitur in magnam aquæ copiam, quæ ex experientia Boylei  $\frac{4}{5}$  totius massæ æquat (§. I. Sect. I.) dum ex unciis septem sanguinis sex uncias phlegmatis per destillationem acceperit, deinde prodit sal alcalinum volatile oleosum, succedit oleum crassum nigrissimum, in fundo vero vasis pauca nigerrima terra relicta manet.



## COROLLAR.

Blandities E. humorum nostrorum ex hoc subtili phlegmate solum provenit.

## §. XXXVII.

Confirmat ulterius sanguinem, sive omnes humores, potissimum ex aqua constare, experimentum sequens simplicissimum. Quando quantitas quedam cruoris ex vena emissi per tempus libero aeri relinquitur, quod tunc successe in merum limpidum pellucidum laticem deliquescat.

## §. XXXVIII.

Hinc ex combinatione globulorum omnis densitas & calor dependet, sicque inveniemus triplicem liquorem unde spiritus per secretionem secernatur  $\alpha$ . cruorem compositum ex sex globulis lymphaticis  $\beta$ . lympham ex aliis subtilioribus & pellucidioribus globulis constantem,  $\gamma$ . serum falsum excrementitium, quoda vitali consortio inutile separatur.

## §. XXXIX.

Ex hoc aquoso apparatu fiunt solida, uti formatio fibræ ejusque destructio clarissime demonstrant. Sub incubatu enim ovi embryo sive stamen illud vividum, sensibus vix obvium, nutritur & expanditur per aquam subtilissimam redditam atque resolutam ope caloris, donec, pullo increfcente, omnis liquor in ovo consumatur corpusque tam sensibile productum sit.

CO.

## COROLLAR. I.

Ergo ex aqua fit mucus, ex mucositate stamen, ex hoc membrana, hujus convolutione, vasa, hinc muscoli, cartilaginee ex coalitione, ex his durioribus factis ossa generantur.

## COROLLAR. II.

Nihil E. nutrit, quod non in aquam sit redactum: unde apparet nutritionem absolvi in minimis fibris.

## §. XL.

Totum autem illud solidum undique est vasculosum, ex cujus magnitudine & figura mox arteriæ, mox venæ appellantur, priores ex lato in angustum, posteriores ex angusto in latum abeunt, & sunt tubuli conoidæi & cylindracei. Quæ vasa liquidum (§. XXXIII. *a*) advehunt sive revehunt, vocantur sanguifera; quæ lympham (§. XXXIII. *b*) continent, lymphatica dicuntur. Quæ denique laticem subtilissimum vehunt nervorum nomine gaudent, quorum divisio neque ad ultimam fibram locum habet.

## §. XLI.

Quando omnes hæc partes, licet siccissimæ, ad ignem destillantur, idem reperietur quod §. 36. demonstratum, remanens interim terra sub ultima cohobatione vix conspicua erit.

## §. XLII.

Hæc fluidorum ac solidorum compages §§. præcedentium, vario artificio coniuncta, constituit cerebrum

brum, cor, pulmones, intestina, renes, hepar, lien, musculos, glandulas, omnesque artus corporis humani, ubi humor ille subtilissimus aquosus preparatur ac conficitur, singulari servato concentu, qui ex legibus mechanicis atque hydraulicis solum explicandus erit.

## §. XLIII.

Sed hoc ordine corpus vivum atque sanum conservatur, dum duos elateres, cerebri nempe membranas ac nervos, atque cor ex physiologicis assumimus, unde motus reciprocus continuatur: interim liquida, vi gravitatis, solida impellunt, hæc vero natura contractilitatis humores iterum propellunt. Sic cor agitur a cerebro per nervos, mediante subtilissimo liquido nervoso; cerebrum incitatur a sanguine per cor expulso arteriarumque contractilitate propulso.

## COROLLARIUM 1.

E. motus tonicus absque liquidi consideratione nullus est; nec allegatio spiritus nostri immortalis, cujus operationes altiores sunt, huic negotio quidquam lucis asferre poterit, quin potius meris abstractionibus intellectus obnubilabitur.

## COROLLARIUM 2.

Hinc porro glandularum & corporis tomentosi Ruychiani structura innotescet.

## §. XLIV.

Quando æquilibrium (§. 29. 33. 36. 39.) inter fluida & solida solvitur, functiones quædam læduntur, qui status nobis morbosus dicitur.

C

XLV.

ni emilliosi sibi §. XLV.

Ratione fluidorum nimia oleositas, faldedo, & terrestres particulæ morbum creare possunt, si enim aqua deficit, salia magis acriora fiunt, olea rancescunt & terra tenax iis combinatur; hinc varix obstructions, inflammationes, scirrhii, cancri, polyphi, lapides, atra bilis, febres varix, aliique innumerabiles fere morbi producuntur.

§. XLVI.

Morbi autem sic dicti aquosi sæpissime ex defectu purioris aquæ oriuntur, serum enim illud putridum ad ignem non exhalat, sed instar albuminis cocti coit, & observatur, quod usus spirituosorum fermentatorum plus disponat corpus ad hos affectus, quam potus aquarum: licet negare nollem, etiam ex abusu alias exquisitissimorum remediorum morbos oriri posse.

§. XLVII.

Ex parte denique solidorum tollitur sanitas, dum vel nimis stricta vel nimis laxa existunt.

§. XLVIII.

Sic laxam dicimus fibram, quando ita parum inter se coherent partes, ut facili motu dissolvi queant, omnemque amittant elasticitatem.

§. XLIX.

Laxitas illa fibrarum, præter alias causas, imprimis ex defectu nutritionis oritur; hæc sec. Corall. 2. §. 35. peragitur, hinc morborum ex hac causa origo clare patet.

§. L.

Quando quoque sanguis §. 33. in subtilissimum liqui-

quidam resolvi nequit, quod minima penetret vasa, laxæ redduntur fibræ.

COROLLARIUM.

E. Hic est ortus plethoræ, cachexiæ, tumorum & obstructionum varii generis.

§. LI.

Alteram solidorum generalem morborum causam rigiditas nobis sinit, quæ nimiam molecularum terrestrium cohesionem & adunationem habet, unde elasticitas augetur & æquilibrium tollitur.

§. LII.

Nulla autem flexilitas sine aqua in fibris esse potest, ideo, subtiliori fluido absente, plures coalescunt fibræ, quæ rigidiores factæ, majorem impetum humoribus conciliant, unde inflammationes variæ morbique plurimi (§. 46.) ortum trahunt.

§. LIII.

Tum ex pluribus vasis fit unus, per coalescentiam canalis, hic in cartilagine abit, cartilagine mutatur in ossa, sic omnis motus cessat, & est mors naturalis fenum, ubi arteria aorta in origine plane ossæ, postea cartilaginosa, sub anatomia deprehensa fuit.

COROLLARIUM. I.

E. Veterum humidum radicale, si sano accipiatu sensu, intellectu non difficile est.

COROLLARIUM. II.

Nec ullus in corpore humano ex materiali principio facile oritur morbus, quando aqua omni-

mnibus debite intercedit partibus, & sanguis probe circulator & excernenda foras ejiciuntur.

SECTIO III.  
DE SPECIALI AQVÆ USU, IN  
CURATIONE RECENSITORUM  
ET PLERORUMQUE AFFECTUUM  
CORPORIS HUMANI.

§. LIV.

**A** Qua sec. proprietates (sect. i. §. 1, 2, 3, 4, &c. &c.) explicatas, mundificat, penetrat, aperit, cum nostris liquidis se miscet, obstructa resolvit & circulationem promovet.

§. LV.

Si enim particulae quaedam oleosae salinae ac terrestres, perfecta transpiratione insensibili, remanere, ac postea per spiracula illis ad mentem Loewenhoekii  $\frac{1}{125000}$  unius arenulae aequantibus, avolantibus aquosis principis, obstructionem minantur, nihil melius cutim deterget, quam applicata aqua, dum se insinuans sal cum oleo redigitur in saponem sicque terram simul aufert.

§. LVI.

Porro corpus nostrum undique aequaliter premittur ab aere, cui respondet elater cordis; si igitur gravitas ac penetrabilitas globulorum aquae consideratur, quae longe gravior aere est, tunc non solum plus premet sed etiam vasa capillaria penetrare poterit.

§. LVII.

§. LVII.

Hæc vero in ambitu externo & interno ex exhalantibus & reforbentibus constant vasis, quæ, si sint nimis laxa, constringi, si nimis stricta, relaxari debent.

COROLLAR.

E. usus aquæ frigidæ & calidæ maxime a se invicem differt.

§. LVIII.

Operatio aquæ frigidæ sic concipitur, quod resistentiam in vasis & fibris minimis augeat, hinc majori copia a peripheria ad centrum humores propelluntur, in cerebro fit major secretio spirituum, in corde vires duplicantur postea, vel quod per venas plus sanguinis revehitur, vel quod muscolum hunc copiosior liquidum nervosi copia influit.

§. LIX.

Aqua igitur frigida, sive fontana sive fluviatilis sive alia, si pura existit, in omni debilitate fibrarum, levibus inflammationibus, & affectibus, in quibus circulatio ad peripheriam fortior ad cor vero debilior s. languidior erit, maximam absolvet curam.

COROLLAR. 1.

E. roboratur corpus hujus aquæ usu, sive interne sive externe applicetur, justo loco ponderare ac mensura.

COROLLAR. 2.

E. Affusio aquæ frigidæ in hæmorrhagiis

non ad partes læsas five proximas sed ad remotas fieri debet, ut major quantitas ad inferiora deriyetur.

## §. LX.

Cum igitur tonus partium usu aquæ frigidæ restituitur, non immerito à veteribus medicis in variis affectibus commendatur. Sic Celsus in medicina sua Lib. I. cap. I. haustum frigidum in vomitu, ructibus crudis, imbecilli stomacho præscribit. cap. 3. Lib. ej. assiduo oscitantes mox vinum mox aquam bibere jubet, sane ex nulla alia ratione, nisi ut remissior tensio s. tonus restituatur, sanguisque stagnationi proximus propellatur. Aqua præterea, propter summam penetrabilitatem, visciditates mucidas facillime resolvit, vasis vero motum conciliat elasticum.

## §. LXI.

Quantum autem ad sanitatem conservandam usus aquæ simplicis contribuat, præter rationes superius adductas, exemplis in dies probatur. Sic memini juvenis cujusdam valde robusti ac sani, qui per omne vitæ tempus (præter usum lactis in infantia) nil nisi meram aquam pro potu assumpsit, cibus etiam simplicissimis & durioribus semper usus est, interim huc usque optima gaudet valetudine, nullo morbo afficitur, neque remedii quicquam efflagitat, certo argumento hoc liquidum scopo diluendi, resolvendi, fermentandi, dividendi, ac deducendi ad ultimam fibram, solum sufficere.



COROLLARIUM.

Ergo confirmamur, aquas frigidas, sive pluvi-ales sive fluviatiles sive fontanas, interim puras & leves, podagricis, arthriticis, rheumaticis affectibus prodesse quam maxime, si præsertim instar acidularum epotentur. Qua de re uberius instrumur ab Excellentissimo Dn. Præside in Dissertatione de Aqua medicina universali.

§. LXII.

Nivem quod attinet, usus cum priori generaliter communis, sed cum solidum magis habeat corpus, quod sensu etiam frigidius observatur, idcirco partes refrigeratas restituit; per gelu enim humores coagulati intra vasa detinentur, hæc rigidiora facta nihil transmittunt, tum applicatio nivis revocat motum, impellendo vasa semi mortua, sic actio ac reactio fit major, obstructum resolvitur & circulatio s. vita parti conciliatur, nisi jam sit plane destructa, interim tamen circum jacentes partes ab imminente putredine conservantur.

COROLLARIUM.

E. Omnibus inflammatis & ambustis partibus frigida quævis applicatio majus periculum conciliat.

§. LXIII.

Aethera vero lucida & calorifera materia (§. VI.) majori copia in aqua collecta, eam reddit calidam, aer enim plus expanditur, globulique in majori actione ponuntur.

§. LXIV.

## §. LXIV.

Ingens saxum fune alligatum, per cujus superficiem spongia aqua madida ducitur, ut humescat (experto Bellino) sursum tollitur: huic accedit quod aqua tepida durissimo ac ficcissimo aspersa corio illud flexile reddat, ejusque poros intret.

## §. LXV.

Si habeas etiam massam ex oleo & terra concretam, hancque aliquamdiu in aqua tepida maccres, illa dissolvetur & fluida reddetur.

## §. LXVI.

Quando igitur fibræ corporis humani valde sunt contractæ & rigidæ factæ, humores etiam coagulati, interim corpus interne & externe fovetur aquâ tepidâ, non solum laxantur vasa, sed massa crassa in vasis contenta ad circulandum & transpirandum apta redditur.

## COROLLARIUM.

Ergo in omnibus inflammationibus in & externis nullum præclarius præstantiusquè remedium, præter aquam calidam, excogitari ac in usum vocari poterit.

## §. LXVII.

Sed erit etiam aliæ aquæ usus qui dicitur derivatorius, quando humores locum aliquem nobiliorem obstipant, ubi propter copiam & majorem affluxum transpirare aut dissolvi nequeant, sive periculosum sit hoc in loco discussionem tentare; tunc ex opposita re-

gi-

gione derivatio per applicationem calidæ facillime instituitur.

§. LXVIII.

Sit nobis pro exemplo cephalalgia, ex obstructi-  
one mensium orta, ubi simul ad inferiora strictura fi-  
brarum peccat: Si partes inferiores sæpius aquæ im-  
ponantur calidæ, relaxatis vasis hisce, circulatio ibi fiet  
celerior majorque copia huc derivabitur, interim pres-  
sio versus caput imminuetur, & sanguis stagnans abun-  
dansque ex viis naturalibus deducetur: hujus vero ve-  
ritatis clarior erit conceptus si aquæ miscelam cum san-  
guine §. 65. 66. demonstratam attendamus.

§. LXIX.

Singularem porro & plane divinam efficaciam  
aquæ calidæ in febribus ut paucis attingamus, assumen-  
dum erit ex pathologia, rationem earum formalem  
consistere in velociori contractione cordis, cum aucta  
resistentia ad vasa minima: Ideo hic fibræ erunt rigidæ  
& humores compacti, densi ac coagulati. Quid E.  
consilii? Certe applicatio interna & externa prudens  
aquæ calidæ potissimam dabit curam.

COROLLAR. 1.

Hinc balneorum, fotuum vaporum verus ac  
justus usus medico mechanico satis constat, ne  
tanquam empiricus secundum aliorum dicta pro-  
cedere cogatur.

COROLLAR. 2.

Nec anxie inquirendum quænam aqua præ  
altera sit eligenda, siquidem ex consideratione

D

hu-

hujus vel illius affectus vel simpliciter vel sale quodam acui debet.

## COROLLARIUM. 3.

E. Nullum medicamentum effectum salutarem in corpore humano habebit, nisi cum aqua sit mixtum, aut copia ejus nondum deficiat in vasis.

## §. LXX.

Interim medicamenta omniaque nutrimenta, ope aquæ calidæ, ad subtilissimos canales deducuntur, nec vegetabilia sine aqua resolvuntur & in fermentationem rediguntur; solvit vero aqua primo sal plantæ essentialis, quo turgida & acuta reliqua oleosa & terrestria principia unire & in saponaceum & lactescentem liquorem miscere ac mutare potest. Extrahuntur hoc modo varia, ex variis herbis, corpori nostro proficua, & hæ solutiones sunt simpliciores ac convenientiores corpori nostro. Quid antecellit decoctum fumarie sive ejus infusum in scorbuto? quid præripit palmam infuso seu decocto veronicæ, tussilaginis, salviæ in affectibus pectoris? Certe potus ille saponaceus turcarum nomine Caffè jam vulgatissimus, justo modo coctus ac præparatus, in palpitationibus cordis, cephalalgiiis, morbis inflammatoriis divinum est remedium; quicquid etiam alii obloquantur. Encheirisis enim præparationis in eo latet, ut probe exsiccata fabæ æqualiter ustulentur, olei præcipua quantitas per ignem eliminetur, & iuste deinde coquatur, sic erit saluberrimus potus, liber ab omni periculo & noxa. Nolim autem oppugnare

gnare quod nonnullis subiectis noceat, & nimis assumptus noxam inferat, id quod de præclarissimis etiam remediis aliis dici potest.

§. LXXI.

Aquarum mineralium usus medicus ex modo dictis luculenter quidem esset derivandus: sed cum earum tanta sit commendatio, considerabimus quid emolumenti, præter communes aquæ proprietates, secundum principia superius allegata, mutabili & labascenti nostræ machinæ, conciliandum & expectandum sit.

§. LXXII.

Acidulæ æquæ ac thermæ (juxta Excellent. Domini Præsidis demonstrationem) alcalino & neutro sale turgidæ, vasa se & excretoria roborant, aperiunt, obstructa resolvunt & hoc pacto hypochondriacis, scorbuticis, nephriticis, hydropicis, cachecticis affectibus, nec non febribus intermittentibus obstinatoribus, mensiumque vitiis quam maxime conveniunt, neque minus fibris debilitatis & rigidis opem ferunt.

§. LXXIII.

Ratione vero sulphuris embryonati penetrant hæc aquæ vasa capillaria, concilianis motum majorem, stimulant, & in aliquibus morbis inflammatoriis interæ & externe singularem habent usum, emolliendo duros tumores ac referando poros cutis; firmas vero reddunt relaxatas fibras, nec non debilibus & langventibus visceribus auxilium suppeditant.

## §. LXXIV.

Thermæ, præter jam memoratas virtutes, hoc fingulare habent, quod propter subtilem spiritum activum intimius se insinuare queant fibris subtilissimis; hinc non solum rigiditatem earum solvunt, sed etiam alluendo ac solvendo impactis & obstructis vasis impetum conciliant.

## §. LXXV.

Arthriticis igitur & podagricis, ubi serum subtile avolavit, ac restitans lymphæ incrassata est, ubi vasa minima ac tendines crispaturam acceperunt: calidarum aquarum usus summe proficuum est: minime autem privabimus nephriticos, calculosos, oculorum vitio laborantes, aliosque variis affectibus ex rigiditate ortis afflictos, laudabili thermarum usu.

## §. LXXVI.

Nolumus interea fontium frigidorum & calidorum usum distendere ad omnes affectus, vel pro universali remedio venditare; est enim in aprico positum, quod viscera indurata ac scirrhusa resolvere haud queant. Nec hæ aquæ quid auxilii ferre valent destructis partibus, ubi jam extravasationes ac effusiones in cavitates factæ sunt, hinc abstinendum ab iis in empyematibus, abscessibus, apoplexia, epilepsia & hemicrania inveterata, asthma convulsivo, anasarca, lue venerea, ac gonorrhœa virulenta, quia vi stimuli malum potius exacerbant quam leniunt.

## COROLLARIUM.

E. interest, ut attendantur non solum varia affectuum genera, sed etiam differentiæ fontium, siquidem nonnullæ aquæ majori spirituum copia scatent, aliæ leniores sunt, reliquæ sale alcalino vel neutro magis abundant.

## §. LXXVII.

Ne vero viscera ab usu aquæ labefactentur, nec terrestres minerales particule remaneant, motus corporis, durante usu, quam maxime requiritur, quid? quod evacuationes sanguineæ vel serosæ, pro ratione subjectorum, anticipandæ, aut sub cura instituendæ erunt, quin imo, pro re nata & ægrotantium conditione, stomachica, hysterica resolventia &c. &c. in usum advocari debent.

## §. XXXIV."

Requiritur denique cura præservatoria, ubi plethora corpus occupat, & quidem hoc scopo: ut majus spatium reliquis humoribus & assumendis aquis concedatur, ita enim illi citius circulari, hæ vero eo facilius totam massam corrigere ac noxias particulas educere poterunt. Status autem subjectorum indicabit an venam secare, alvum subducere, urinam ciere, aut sudorem movere, consultum sit.

COROLLARIUM. I.

Generalis ergo ac universalis aquarum mensura singulis individuis ordinari nequit.

COROLLAR. 2.

Nec alia operatio aquarum mineralium fingi debet, quam illa, quæ ex natura stimuli & solutionis sequitur.

COROLLAR. 3.

Hinc elucet, cur, sub vario regimine, aquæ minerales mox alvum, mox vomitum, mox urinam, mox sudorem vel solum insensibilem transpirationem promovent.

COROLLAR. 4.

Apparet denique, quatenus hæ aquæ profint vel noceant tabidis, atrophicis & phthificis, & quomodo usus externus ab interno differat.

S. D. G.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO,

S. P. D.

P R A E S E S.




Um mihi inaugurale specimen TUUM perlegendum traderes, idque cum aliquo studio perlustrarem: statim agnoui quam præclaros in arte salutari progressus feceris, planeque illis honoribus dignos, quibus nunc ab nostra Facultate ornatus discedes. Nimirum recte ad animum illud revocasti, quod magnus medicinæ parens & antistes Hippocrates sedulo inculcat, ut naturam pernoscere studeamus. Id vero te non solum in illis præstitisse, quæ corpus nostrum, tanquam partes, constituunt, erudita TVA disertatio comprobat; sed etiam earum rerum cognitionem quæsiuisti, sine quibus illud subsistere nequit, & a quibus mirum in modum vel iuvari potest vel damno affici. Aquam igitur, qua corpora animalium carere non possunt, accurato examine instituto, nobis sistis, cumq. ipsius naturam & proprietates excussisses, feliciter sane comprobas quam pulere omnia & distincte ad rationem, qua corpus nostrum iuuet vel lædat, applicari debeant. Ita decet medicum, & clarissimi excellentissimiq. VIRI Boerhaviî auditorem sollertem, cuius in eo singularis & totum orbem pervagata est gloria quod artis nostræ cupidos cæcos nolit & sententiarum farragine onustos vel obvelatos, sed clarissimis anatomes, physices, reliquarumque medicam scientiam progignentium disciplinarum luminibus utentes & collustratos ad sacra Hygicæ interiora pervenire; idque imprimis vrget, quod idem mihi semper propositum fuit, fixumq. manebit, ut materiæ pariter & motuum in corpore rationes probe subducantur & ex hac supputatione solidum de rebus ad salutem mortalium facientibus iudicium feratur. Nihil itaque superest, quam ut TE hortor moneamq. ut TIBI similis maneas, eademque sedulitate, qua soles, porro his infestas vestigiis. Ut prospere rem in praxi medica agas apprecari, aut TVA M eruditionem meritis laudibus commendare, vtrumque supervacuum videtur, quum hanc quidem ipse eleganti ac penitus TVA disertatione omnibus commonstres; fortuna vero egregiam virtutem eruditionemque TV AM destituere nequeat. VALE.

VIRO PRÆ-NOBILISSIMO, DOCTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO,  
**HIERONYMO MARTINO**  
**HENRICI,**  
GRADUM MEDICINÆ DOCTORIS MERITISSIMUM  
*gratulatur*  
FRIDERICUS KAMIEN.

---

**O** Lim venustum nos comites iter  
Vbi fideles ingenii egimus,  
Te finium quis huc reduxit,  
Incolumemque mihi redonat?  
Almis, meorum prime sodalium,  
Te sic Baravis artibus affluens  
Solum morantem præter omne  
Limitibus tenuit decorum.  
Sic arte solers jam medica madens  
Industriosos, vlterioribus  
Admissus arcanis, & auctus  
Continuo auctibus addidisti.  
Sed postulantem sollicitas foro  
Revisa lites me patria abdidit,  
At rursus hinc misso relictos  
Nunc mihi dat remeare cursus.  
Dum digna doctis præmia frontibus  
Tibi parantur, sedula dum Tibi  
Doctrina debitos honores  
Auspiciis peperit secundis.  
Nobis recepto, gratia Numinis  
Decus, precamur, prosperet vt novum  
Tibi, faventes rite, quos me  
Præcipuum inter habebis omnes.



Qc 310, 8°

Faint, illegible text on a rectangular label at the top of the page.

Qc 310

(II)


ULB Halle 3  
001 540 53X




sb

V278







Q. D. B. V.  
DE

# AQUÆ NATURA AC VIRTUTE IN MEDENDO,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DOMINO CAROLO,**  
BORUSSÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

PRÆSIDE  
**FRIDERICO HOFFMANNO,**  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

*PRO DOCTORIS GRADU,*

publice disputabit,

AUTOR,  
**HIERONYMUS MARTINUS HENRICI,**

OTTERNDORFFIO - HADELERICUS.

Ad d. Julii M DCC XVI.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

